



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Cursus Theologico-Moralis**

Ad usum Tyronum elucubratus, Et in Quotidianis Prælectionibus  
Quoad ea, quæ Moralis Theologia disputat De Sacramentis, & Censuris

**Viva, Domenico**

**Patavii, 1723**

Art. II. Quinam possit ferre Censuras?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40650**

vero dicatur, Noverit se excommunicandum, seu erit excommunicandus, Censura est sententiae ferendae.

Verum quoties de aliqua formula dubitatur, sitne latae, an ferendae sententiae? Censura est sententiae ferendae, ut docent communiter apud Pal. de censuris punct. 2. ex regula 45. juris in 6. *In poenis benignior est interpretatio facienda; & Odia sunt restringenda.*

## ARTICULUS II.

### Quinam possit ferre Censuras

- I. *Potestas instituendi Censuras est in solo Pontifice: Potestas vero illas ferendi est etiam in aliis. Et quidem Ordinaria in iis, qui ratione sui muneris jurisdictionem Ecclesiasticam habent in foro externo; Delegatam vero habent illi, quibus ab habente Ordinariam ea committitur.*
- II. *Recensentur ii, qui Ordinariam habent potestatem ferendi Censuras.*
- III. *Necnon ii, quibus ea potest delegari.*
- IV. *Num possit ea delegari faminis?*
- V. *Quinam delegatus possit potestatem hanc subdelegare?*
- VI. *Jurisdictio hac cum sit contentiosa, non gratuita, nequit extra propriam Dioecesim exerceri.*
- VII. *Quid requiratur ad valide ferendas Censuras?*
- VIII. *Valida est Censura metu extorta, non tamen hujusmodi absolutio a Censura.*
- IX. *Num in causa propria Censura ferri possit?*

**D**E fide est contra Heterodoxos, ut late ostendit Suar. t. 5. in 3. p. disp. 1., & 2., a Christo Domino concessam esse Ecclesiae facultatem

instituendi, ac ferendi censuras ad rectam fidelium gubernationem; Unde dixit Chrysofostomus hom. 4. ad Hebr. *Nemo contemnat vincula Ecclesiastica; non enim homo est, qui ligat, sed Christus, qui nobis hanc potestatem dedit.*

Verum potestas instituendi Censuras est in solo Pontifice; tum quia censurae important ritus quosdam communes toti Ecclesiae, atque adeo solus supremus Pastor potest illos decernere; tum etiam quia, ut advertit Scotus in 4. dist. 19. quaest. 1., quando Episcopus excommunicat subditum suum, eo ipso obligat suo modo omnes fideles ad non communicandum cum ipso; hoc autem accidere non posset, nisi censuram ferret in virtute institutionis factae a Pontifice; ergo solus Pontifex potest censuras instituere, aut Concilium generale a Pontifice congregatum, & approbatum: Quia vero potestas instituendi censuras est potestas jurisdictionis, sequitur, ut idem Suar. notat, posse a Pontifice illam aliis delegari, quamvis hoc non sit juxta usum Ecclesiae, nec fieri expediat.

Potestas vero ferendi Censuras alia est Ordinaria, alia Delegata, seu commissa: Habent ordinariam illi omnes, & soli, qui ratione sui muneris habent jurisdictionem Ecclesiasticam in foro externo; cum enim censurae sint poenae Ecclesiasticae, & in foro externo coercitivae, ab illo dumtaxat intelligi possunt, qui in foro externo habet Ecclesiasticam jurisdictionem: Delegatam vero hanc potestatem habent illi, quibus ab habente Ordinariam commissa est, prout etiam dicitur de potestate absolvendi. Ratio, quare solus Pontifex habeat potestatem instituendi censuras, non solus vero ille, sed alii etiam a Pontifice habeant potestatem illas ferendi, est, tum usus Ecclesiae; tum quia non potest solus Pon-

Pontifex per se ipsum illas ferre in omnes delinquentes, unde indiget aliis pastoribus ordinariis, ut Coadiutoribus; Et sæpe isti etiam debent illam aliis committere: Hinc dicitur Actor. 20. *Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* His explicatis

II. Quæritur primo; Quinam habeant potestatem ordinariam ferendi censuras?

Respondeo: Primo, Habet illam Pontifex relate ad omnes fideles: Secundo, Episcopi relate ad suos Diocesanos; sicuti etiam Vicarii Episcoporum, quia unum habent tribunal cum Episcopis; non tamen Vicarii foranei, qui delegatam dumtaxat habent jurisdictionem; nec Episcopi titulares, qui jurisdictionem habere non possunt, cum subditis careant. Tertio, habent etiam Archiepiscopi, Patriarchæ, & Primates relate ad suos subditos; & quia Archiepiscopus in Diocesi suorum Suffraganeorum tantum habet potestatem ordinariam, dum actu visitat, vel quando ad ipsum per appellationem causæ devolvuntur, ideo in his dumtaxat casibus potest censuras ferre in subditos Suffraganeorum. Quarto, Capitulum Cathedrale Sede vacante, sicut & ipsius Vicarius; cum succedat quoad jurisdictionem in locum Episcopi. Quinto, Abbates habentes Episcopalem jurisdictionem. Sexto, Superiores regulares, ut Generales, Provinciales, & Superiores locales; quamvis per specialem dispositionem in aliquibus religionibus id sit prohibitum Superioribus localibus: Demum Concilia generalia per totam Ecclesiam, & Provincialia in suis Provinciis, Legatus a latere, Cardinalis in Ecclesia sui tituli, quidam Archidiaconi, & Archipresbyteri ex veteri consuetudine, ac Inquisitores Sancti Officii. Parochi illam non habent, ut communiter docent contra Archidia-

conum. Et ratio est, quia Parochus jure communi, & ordinario nullam jurisdictionem habet in foro externo, sed solum in foro pœnitentiæ. Quæ omnia multis juribus probant Pal. disp. 1. de Censuris punct. 4., Hurt., Con., & alii communiter.

III. Quæritur secundo; Quibusnam delegari possit ea potestas?

Respondeo, jure ordinario committi posse etiam Clerico gaudenti privilegio clericalibus; non tamen Clerico conjugato, præsertim si sit conjugatus cum vidua, atque adeo bigamus; & multo minus committi potest laico, aut fœminæ: Quamvis possit Pontifex, utpote juris universalis hujus conditor, & legislator, in tali jure humano dispensare, & delegare illam laico etiam infideli, necnon Clerico conjugato, qui in hac materia quasi laicus reputatur.

IV. Utrum possit Pontifex potestatem hanc delegare fœminæ? Negant communiter cum Avila part. 1. dub. 6., & Con. dub. 4. num. 33., videtur enim fœmina jure divino incapax jurisdictionis Ecclesiasticæ, cum hæc potestas data sit a Christo Domino solum Apostolis, eorumque aliquo modo successoribus, non vero fœminis; ne Beatissimæ quidem Virgini. Unde dixit Apost. 1. ad Corinth. 14. *Fœmina in Ecclesia taceant*: Quare cum Clerici, & laici succedant per gradus suos Apostolis, nunquam vero succedant fœminæ, ideo illis tantum potestas hæc delegari potest jure divino, non vero fœminis: Affirmant tamen Hurt. difficult. 4. num. 13., Pal. disp. 1. punct. 4., & alii apud eundem; de jure enim tantum Ecclesiastico videtur fœminæ incapaces talis jurisdictionis; & ideo censent posse Pontificem in tali jure dispensare; Solum de jure divino sunt incapaces potestatis Ordinis, non vero jurisdictionis, cum possit fœmina beneficia conferre.

Quam;

Quamvis tamen fœminæ non sint Apostolis successores, sicut nec laici in statu laicali, nihilominus sicut laicis, ita & fœminis potest a Pontifice delegari talis potestas.

Ad hoc confirmandum adducunt, quod in cap. *Dilecta*, de *Majoritate* jubeat Pontifex observari suspensionem latam a quadam Abbatisa in Clericos sibi subditos. Verum huic textui communiter respondent, ibi suspensionem sumi lato modo pro prohibitione facta ab Abbatisa, non pro censura, per cujus violationem incurratur irregularitas: Idque satis constat, quia Pontifex commisit cuidam Abbati, ut per censuras cogeret prædictos Clericos ad servandum præceptum illud Abbatisæ: Quod non fecisset Pontifex, si potuisset ipsa Abbatisa suspendere contumaces. Adde, quod Innoc. III. in cap. 3. de *Pœnit.*, & *Remiss.* dicit, potestatem hujusmodi nulli unquam fœminæ committam fuisse. Advertendum hic, quod ad ferendas censuras cum solemnitate jure communi requiratur Sacerdotium, & non sufficiat Clericatus, nisi in tali jure Pontifex de plenitudine potestatis dispenset.

V. Quæritur tertio; An habens delegatam hujusmodi jurisdictionem, seu potestatem ferendi censuras, possit illam alteri subdelegare?

Respondeo, ex *Cap. Cum causa*, de *Appellatione* apud Con. dub. 4. num. 34., & alios communiter, Primo, posse illam subdelegare delegatum dumtaxat Supremi Principis, seu Papæ, quia reputatur Ordinarius; unde potest subdelegare, non secus ac qui habet hujusmodi potestatem ordinariam, seu ex officio. Secundo, posse illam subdelegare eum, cui delegatur specialiter cum potestate subdelegandi. Utrum autem delegatus ad universitatem causarum possit in casu occurrenti subdelegare? Affirmat probabiliter Sanch. lib. 3. de *Matrim.* disp.

31., & *Dian.* part. 2. tract. 17. fol. 53., ut diximus in tract. de *Pœnitent.*

Ubi advertere primo, jurisdictionem hanc, utpote contentiosam, non gratiosam, per mortem concedentis, seu delegantis expirare, si res sit integra, seu si causa non sit inchoata: Ita habetur in *Cap. Si gratiose*, de *Rescriptis* in 6., & in *cap. Licet*, de *Officio delegati*, ut videre est apud Pal. tom. 1. tract. 3. disp. 4. punct. 13.; Contra vero qui habet hanc potestatem ordinariam, illam retinet etiam mortuo concedente, uno excepto Episcopi Vicario.

VI. Advertere secundo, jurisdictionem hanc contentiosam in eo etiam differre a gratiosa, quæ habetur in foro Sacramentali, quod habens istam sive ordinariam, sive delegatam, possit audire confessiones suorum subditorum extra propriam Diocesim, seu extra locum suæ jurisdictionis, ut diximus in de *Pœnitentia*: At habens jurisdictionem contentiosam in ordine ad ferendas censuras non potest illam ne valide quidem exercere extra locum suæ jurisdictionis, nisi obtento consensu illius, in cujus jurisdictione est, excepto casu, quo talis Episcopus expulsus esset a sua Diocesi, tunc enim petita, licet non obtenta, licentia Ordinarii loci, in quo est, potest suos excommunicare; etenim ex laud. *Cap. Licet* habetur, quod h. m. consensus debitus, & injulte negatus valet quantum concessus. Ita communiter Doctores ex *Clem. 1. de Foro competenti*.

VII. Quæritur quarto; Quid requiratur in ferente censuras ad valide illas ferendas?

Respondeo, primo requiri legitimam potestatem non impeditam aut per legitimam appellationem, aut per notoriam Judicis excommunicationem, vel suspensionem. Secundo, ut ferens cen-

cenfuras fit viator; unde Beatus, vel Angelus invalide cenfuram ferret, Deo aliter non difpenfante; quia, ut oftendit Hugolinus, Cenfura eft veluti gladius Ecclefie militantis. Tertio, ut fit baptizatus; cum infidelis fit incapax iurifdictionis Ecclefiafticæ, faltem de iure Ordinario. Quarto, ut non fit laicus, aut Clericus conjugatus, ut fupra diximus. Ultimo requiritur, ut dum fert cenfuram, libere illam ferat, hoc eft humano modo, & cum advertentia: Quare invalide cenfuram ferret amens, & qui nullo modo adverteret ad id, quod agit, aut non cum plena deliberatione, quæ ad peccandum mortaliter fufficeret. Ita etiam communiter Doctores apud Con. dub. 5.

VIII. Dubium tamen eft; An ad ferendam cenfuram requiratur libertas a coactione, feu an cenfura extorta metu cadente in conftantem virum fit invalida? Et communiter Doctores docent efle validam; quia univerfim tam iure naturæ, quam iure pofitivo, quæ fiunt ex metu funt valida; nifi in aliquo cafu contrarium fit iure ftatutum. Et ratio a priori eft, quia cum metu ftat libertas fufficiens ad actum humanum, ut patet; quia qui ex metu gravi, verbi gratia, mœchatur, aut fidem abnegat, peccat mortaliter.

Neque dicas, in Cap. 1. De iis, que vi, metufve caufa fiunt in 6. habetur, Abfolutionem a cenfura metu extortam efle invalidam; ergo etiam erit invalida inflictio cenfuræ, fi metu extorqueatur. Nam, ut bene Con., in iure pofitivo argumentum a pari nihil probat; Præterquamquod datur difparitas; etenim fæpe Magnates cogunt Superiores Ecclefiafticos ad tollendas, numquam vero, aut fere nunquam ad ferendas cenfuras; & ideo ne Ecclefiaftica difciplina enervaretur, neceffe fuit, ut invalidaretur cenfuræ

Pars VIII.

abfolutio metu extorta, non vero cenfuræ inflictio.

IX. Dubium etiam eft; An poffit quis in caufa propria ferre Cenfuram? Et communiter respondent negative; quia nemo poteft fimul efle Actor, & Judex; etenim qua parte eft actor, eft fubditus, qua parte eft Judex, eft Superior; unde fimul efferet fubditus, & Superior fuimet. Præterquamquod Judex in propria caufa facillime injuriam irrogaret parti adverfæ. Excipitur tamen cafus defenfionis, ut videre eft apud Bonac., & Filliuc., quando fcilicet aliquis cenfuram fert in illum, qui fibi manifeftam infert injuriam, feu violentiam: etenim licitum tunc eft uti propriis armis ad injuriam propulfandam, juxta illud, Vim vi repellere licet; Ita Innoc. in Cap. Dilecta, de Sententia Excommunicationis in 6.

### ARTICULUS III.

Erga quos ferri Cenfura poffit?

- I. Cenfuris ligari poffunt, qui funt præcepti capaces, ac Superiorem in Ecclefia habent in rebus fpirituallibus.
- II. Mortuus folum poteft declarari excommunicatus; Et quomodo a Cenfuris abfolvatur?
- III. Brutorum excommunicatio eft potius maledictio, & imprecatio.
- IV. Impuberes non folent, licet poffint, ab homine cenfurari; Cenfuram tamen a iure latas incurrunt.
- V. Amens poteft folum declarari excommunicatus.
- VI. Communitas interdici, vel fufpendi poteft, non tamen excommunicari.
- VII. Ligatus una Cenfura poteft & alia ligari, ac divifibiliter ab iis abfolvi.
- VIII. Quandoenam poteft fubditus unius Diœcefis ab Epifcopo alterius Diœcefis abfolvi.

B

60